DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

perscrutans

CURAM
INUNCTORIAM

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

Clarissimorum ac Celeberrimorum

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREÂ

RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA

C. R. Academia Medico - Chirurgica Josephina

publicae disquisitioni submittit

Eugenius Generſich,

Hungarus Leutschoviensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die Mai 1841.

VINDOBONAE,

ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa sed utilitas, officiumque fuit.

Ovid, de ponte elegia 9.

Seiner Wohlgeboren

dem

Herrn Herrn

TH. KUNA,

k. k. priv. Großhändler,

Seinem

verehrtesten Landsmanne

weihet

diesen ersten Versuch seiner literarischen Arbeit

als einen schwachen Beweis

seiner

Hochachtung und Dankbarkeit

der

Verfasser.

Introductio.

Nullus datur in universa Medicina morbus qui tot pro se haberi tractandi Methodos ac Syphilis, non singula pharmaca solum verum integra extant systemata curam ac sanationem morbi dicti pro objecto habentia. Omnes vero Methodi Syphilidi medendi ad duas magnas familias revocari possunt nempe: cum et sine Mercurio, quaevis earum suos omni aevo nacta est defensores et osores. Ille cum Mercurio rursus dispescuntur in tales, ubi interna fit aplicatio hujus remedii, et eas in quibus externa per atria Hydrargirum eusque praeparata Organismo comunicantur; inter posteriores gravissima et omni respectu dignissima est ea, qua unguentum mercuriale cuti inungitur, scopo quodam perficienda haecque objectum thematis praesentis constituit. Data mihi erat occasio sub auspicciis celeberrimi nec non doctissimi D. D. Prof. Frid. Jaeger modificationis curae inunctoriae Louvier Rustianae recentissimae a celeberrimo Seutin introductae emolumenta observandi, ideo intractatu meo curam inunctoriam perlustranti modificationes, in hac a Seutin propositas breviter exponam argumentisque praestantiam hujus demonstare connabor.

Notio.

Cura inunctoria, cura per inunctionem, cura magna große Kur, Schmierkur, Grand rémede, vocatur in Hippocratis arte ea methodus medendi, qua secundum certas leges et scopo diversos morbos anandi, unguenta mercurialia cuti Organismi humani infricantur, et quidem potissimum sub observatione stricti regiminis diaetetici.

Conspectus historicus.

Applicatio mercurii forma unguenti sistit ut notum antiquissimam Methodum diversissima mala ope hydrargiris anandi; inventores ejus sunt Arabes: Rhazes, Avicenna, Serapion etc. minus ea adridebat Graecis, Dioscorides, et Galenus eam repudiarunt, mercurium pro diro veneno servantes; cum tamen dictorum Arabum audacia pericula in variis cutis morbis impetiginosis uti: Scabie herpete etc. optimo coronarentur effectu, contigit ut cura haec jam sec **12.** et **13.** partim per expeditiones cruciatas, partim per commercium Maurorum et Arabum cum Hispanis latius per Europam propagaretur, atque traditionis ope hoc in statu usque ad finem sec. **15** conservaretur, quo tempore primum ejus in Sylphilide fama exanthematis pustulosi eotum late dominante usus fieri cepit; primus, qui inunctiones Mercuriales in morbo venereo adhibuit unanimiter dicitur fuisse Italus Berengarius de Carpi, cujus hoc respectu magna tunc temporis fuit fama et auctoritas, licet unguentum quo

is utebatur incognitum sit; sequebantur illum complures celebres medici, uti: Aquitanus, Torella, et Joannes Weidmann, sed partim nimis parca quantitas mercurii continebatur in illorum unguento, plus vero de praeparatis plumbi, partim vero nequaquam rationalis fuit illa agendi methodus, hinc multus habuerunt adversarios, inter quos excellunt, Fernelius, et Fallopia. Magis excoluit atque in ordinem redegit curam hanc sec. 16. Hyeronimus Mercurialis, aptas indicationes et contra indicationes statuentes: ejus asseclae denuo magnum induxerunt in cura inunctoria abusum, nam citissime et magna cum intentione Salivationem promovere studebant; ejusdem mentis fuerunt et magni nominis medici sec. 17. ut: Franc. de la Boe Sylvius, Fr. Hoffmann, Sydenham et alii; haecque erat ratio, quod cura inunctoria sic dicta Montpellierana enata fuerit, cujus praecipuus finis erat, salivationem e professo impedire, quae tamen si comparuit, mox inunctiones reponebantur; nullum respectum habuit methodus haec curae praeparatoriae, neque regiminis diaetetici cujus tamen summam utilitatem ac necessitatem largissima confirmavit experientia. In Germania nullos nacta est Cura dicta sectatores, imo potius quamplurimi hujus nationis medici omnem externum mercurii usum e medicina practica eliminare conabantur, inter quos praecipui erant Boerhave et ipse celleberimus van Suiten qui curam inunctoriam in syphilide adhibendam prohibuit; ab alliis vero modificatus erat usus mercurii exter-

nus, uti a Svediaur, Cuillerier, Girtanner, Vetter, atque Clossio. —

Summa vero hac in re sunt merita celeberrimorum Louvrier, et Rust, qui empiricum agendi modum e cura Syphilidis per inunctiones abrogantes, rationales indicationes, et contraindicationes, morbum et individualem constitutionem respicientes, statuerunt, sicque effecerunt, ut haec cura magis universalis, cuique facile applicanda, et minus periculosa fieret, en quanta beneficia in genus humanum, et quanta merita in scientiam et artem medicam inde promanant. Essentia curae inunctoriae secundum hos viros fundatur in propria et specifica virtute hydrargiri, organa vitae plasticae qualitativo modo afficiendi, et in specie energicam acerationem in systemate lymphatico producendi salivationem, in plurimis quidem casibus summe optatam, non considerant ut conditionem ad sanationem absolute necessariam, sine quas non, verum habent eam pro excretione critica, curam hydrargiri multum adjuvantes student ejus praematurum introitum impedire, quod si fiat, quantitatem unctionum imminuunt, interstitium simul earum augendo, imo et curam sistunt, si salivatio damna organismo fors irreparabilia minetur; atque in hac cauta inunctionum continuatione aut etiam cessatione consistit essentia atque praerogativa curae inunctoriae Louvrier Rustianae; porro experientia ducti adjuvant effectum curae suae tum per convenientem praeparationem, tum etiam per diaetam cum primis in esu et potu

servandam, admodum strictam imo juxta Rust, iam ad famem usque accidentem; nam in simili solum praeparato corpore locum habet intima unio Mercurii cum partibus animalibus corporis humani, qua locum habente universalis metasyncrisis Organismi sequitur, resorbtio ad summum usque gradum incitatur, atque proprius, novusque morbus, Mercurialismus, inducitur, qui sigularem certis diebus adstrictum typum assummit, et denique semet ipsum per actum salutarem criticum tollit, quin cahexiam aut ulla toxicationis mercurialis vestigia in conspectum prodeant.

Omnem affectionem syphiliticam, atque in omnibus individuis sine discrimine nequaquam sanat Cura magna inunctoria uti nec ulla alia, ast quod omnis alia medela praestat, hoc praestat per excellentiam inunctio a Louvrier et Rust stabilita; unde injustae sunt objectiones a multis contra curam hancce in medium adductae; alii efficatiam ejus simpliciter negant adserentes casus recidivae luis venereae post applicatam curam inunctoriam obvenientes; aliis autem summe periculosa, videtur haec ratio agendi, aut saltem admodum nauseosa. Omnia haec argumenta sunt partim falsa, partim minus justa; cura inunctoria tunc solum sine effectu manet, si non debitus ejus instituatur usus, h. e. ubi aut nullus contra indicationum habetur respectus, aut vero ubi ejusmodi virtutes ab ea exiguntur, quas ea minime praestare valet, sic postulant aliqui ut omnia vitia organica per syphilidem generata

e. g. Urethrae, Prostatae, etc. per curam hanc auferantur; quivis etenim practico medico notum existit, dari non paucas aegros infelices, quorum organismo virus syphiliticum tam firmiter in haeret, ut nullo etiam summe heroico agendi modo ab eo liberari quaeant Ipsi auctores etiam hujus curae inunctoriae modificatae eam minime pro infallibili habent; aperte fatetur celeb. Rust nec omnes formas syphilidis, nec omnia individua apta esse pro cura hac gravi, imo in non paucis casibus eam minime effectu suo coronari; ast vero ubi datur remedium universale syphilidis?

Periculi plenam esse applicationem methodi inunctoriae nemo negare potest, ast quis eam omni in casu in usum vocabit; ea propter statuuntur contraindicationes quae eam adhiberi prohibent. Deniqne inamoenam et molestam eam dici debere lubenter concedimus; sed momentum hoc nec in considerationem venit in casu necessitatis absolutae; si daretur aliud medium, per quod facilius, et magis amoene idem scopus assequi posset, quivis medicus practicus sibi coscientia duceret illud potius in usum vocandi, sed non est semper concessum, cum tute sanare etiam jucunde sanare.

Indicationes curae inunctoriae.

Hoc respectu rursus magna sunt merita celeber. Rust. qui primus curam hanc praeter Syphilidem etiam ad alios morbos topicos et universales, cumprimis sphaerae plasticae extendere admissus fuerat.

In genere indicatur inunctio mercurialis in omnibus illis morbis qui in abnormì modo alterata reproductione fundantur, et qui fortiorem atque veluti organismi intima penetrantem curam metasyneriticam exposcunt et quidem:

1) In diversis formis luis venereae.

a) Ubicunque sive ob debilitatem organorum digestionis, sive ob chronicam labem organorum abdominis cumprimis ex hac venientem diuturnam et pertinacem diarhoeam internus usus mercurii prohibetur.

b) Ubi diu protractus internus hydragiri usus nullo coronatur effectu; id quod saepe in mala ejus applicatione, aut vero in exigua receptivitate tubi intestinalis fundatur.

c) Ubi in sequelam nimium exaltatae receptivitatis apparatus digestorii in hydrargiri praeparata etiam minoribus dosibus propinatis, vomitus, diarrhoea, aut aliae turbae chimi, et chylificationis eveniunt, aut saltem timentur.

d) In omnibus casibus affectionum syphiliti, earum cutis ad magnum gradum evectarum; sic in scabie, herpete, verucis maculis, atque pustulis venereis, ubi nec sublimatus corrosivus, nec praecipitatus ruber ullam efficaciam praestiterunt — porro in similibus ulceribus cavi oris, et faucium membranae mucosae narium, Otaena syphilitica, excrescentiis omnigenis ad anum, quo Cristae, Fici, Thimi, Mora, Condylomata etc. referuntur, dein morbis oculorum originis syphyliticae, uti: Blepharo, aut ophtalmo-

blenorrhoea, Iritide aut Keratitide, et Amau rosi syphilitica, denique ubicunque ulcera fistu losa, vel exulcerationes cutis magis superficiale regenerationes taelae cellularis, et indurationes diversorum organorum: Testium glandularum inquinalium et reliquarum manifeste indici inveteratae luis Syphiliticae praeseferunt.

e) Ubi malum venereum tendines aponevro ses, vaginas musculares, ligamenta aut periostium adgreditur, unde Gummata, Tophi, Nodi, Exo stoses, Hyperexostoses, Ganglia, denique dolores osteo scopii originem, suam trahunt, aut plane ubi jam partim ossa ipsa, praecipue lata et cy lindrica, partim vero articuli affecti existunt, sic caries, emollitio, spina ventosa et depositiones lymphae enatae sunt. Denique

f) in omnibus casibus syphilidis universalis in quibus haec omni remedio mercuriali perti nacissimae renititur, vel vero ad tempus repul sa denuo sub eadem vel mutata forma revertitur.

2) In morbis aliis — non originis formae et naturae Syphiliticae.

a) Si in Systemate dermatico, cutis in et externa, osseo et glandularum lymphaticarum e quadem discrassia universali cumprimis rachiti ca scrofulosa aut arthritica producta morbosa, naturae parasiticae efformantur, quae nullo alio remedio cedunt, et sub forma Tunmorum aut Ex crescentiarum se manifestant uti in arthrocacae, spina ventosa, tumoribus articulorum quibusvis, hydrope posteriorum, dein in cunctis chronicis

et inveteratis ulceribus cutis late serpentibus, phagaedenicis, herpeticis, scabiosis lepra et elephantiasi, denique indurationibus et degenerationibus organorum glanduliformium longissimo tempore persistentibus sic: mammarum, parotidis, prostatae, testium, etc. videre in specie licuit hanc rationalem indicationem curae inunctoriae optimo cum effectu statutam et in finem deductam in instituto nostro clinico a Doctissimo et Celeberrimo Prof. Jaeger in Ophtalmia scrofulosa susceptam.

b) Ubicunque vitia quaedam e causa topica orta, et chronicum decursum assummentia e. g. indurationes et degenerationes textus cellulosi caries, ulcera sinuosa et fistulosa omni therapiae adhibitae resistunt, et nec ipsius cultri ope extirpari possunt.

Cum vero tam heroica, tamque energica sit cura mercurialis per inunctionem non fieri non potest, quam aut facillime noxios, eosque vix auferendos inducat in organismum effectus.

Contraindicationes ejus sunt sequentes.

1) In omni affectione Syphilidis topica quae alio mitiore remedio certo, tuto, et facile cedit.

2) Ubi cutis externa seu justo majori, seu justo minori, quam requiritur receptivitate erga peraeparata hydrargiri gaudet; id quod a priori difficillime detegitur. Sicut etiam cum receptivitate tubi alementaris in idem pharmacon res se habet; revere autem in praxi casus obve-

niunt, ubi dein vel cura nullum praestat commodum vel plane repente interrumpi debet.

3) Prohibetur ejus usus apud omnia individua, quorum Systema nervosum nimis sensile et erethisticum apparet; unde in feminis hytericis, et viris hypochondriacis, porro, quae systema vasorum admodum mobile offerrunt, hinc apud omnes aegros in congestiones, orgasmum, atque plethoram sanquinis dispositos, denique eos qui catarrho et tussi chronica, blenorrhoea, pulmonum haemophtysi, hydrope, scorbuto, tabe et febri hectica laborant.

4) Apud nimis juvenilis aetatis individua hinc infantes, nec non feminas gravidas. In tractamine posteriorum quidem cel. Louvrier peculiaribus cum cautelis instituit curam inunctoriam optimo cum eventu, nihilominus tamen ratio svadet, ut nonnisi in summa necessitate ea instituatur et tunc modificetur partim ipsa cura partim vero praeparatio in hanc ne secus unum malum tollere volens matri et tenellae proli damnum irreparabile inferatur.

5) Nequaquam vero hucusque enumerata rationum momenta absoluta sistunt curam inunctoriam contraindicantia in pluribus namque casibus prudens medicus impedimenta illa adhibitis aptis remediis amovere noverit: quodsi vero id nullo modo fieri possit, tunc ad alia remedia fugiendum erit, ipse Rust in multis casibus absolute contra indicata cura hac mercuriali Decoctum Zittmanni adhiberi jubet.

Specialis curae ipsius consideratio.

Tota cura per innuctionem mercurialem peragenda in tres partes dividitur in curam praeparatoriam, in curam stricte inunctoriam, et denique in curam vix nonnunquam necessariam posthumam.

b) Cura praeparatoria.

Haec Methodus agendi duplicem sibi praefixum habet scopum et quidem.

a) Omnem complicationem auferendi quae cum morbo, in quem devincendum cura haec adhibetur nullatenus in causali existit nexu, quae per actionem mercurii simul tolli non possunt, et denique cujus praesentia salubrem curae effectum turbare posset.

b) Aegrum cujus cuti unguentum infricandum venit, ad recipiendum mercurium aptum redendi.

Priori respectu medicus cunctis adintatur viribus, quo omnia obstacula curam praepedientia removeat, et complicationes cunctas prius auferat, quare antequam quaevis inunctio suscipiatur, debet omnis affectio plethorica, nervosa, gastrica, scorbutica, aut debilitas magni gradus aptís medicamentis prius oppugnari.

Ad aegrum pro cura praeparandum ante omnia opus est diaeteticum regimen omni ex parte ordinatum statuere; diaetam cumprimis esum et potum quoad quantitatem et qualitatem decernere, ut sic majori sub ipsa cura observandae absinentiae asvefiat aeger debet solitis nutrimentis valedicere, atque paucos non multum nu-

trientes facile digestioni et assimilationi cedentes cibos suscipere; haec curae praeparatoriae pars nunquam negligatur, notum est quod robusta et bene nutrita individua in genere minus sentibilia sint erga mercurium et quod cibis semper onustus ventriculus difficultates ponat in cura morborum Syphiliticorum et non Syphiliticorum per hydrargirum suscipienda, utatur igitur aeger solis jusculis carnium tenuibus aut cibis solum e regno vegetabili depromtis non autem animalibus. Ad sitim fallendam inservit vel aqua communis, vel potus theatus, apud opibus magis pollentes e decocto rad. Sassaparillae in praxi vero pauperum e decocto rad. Altheae, Bardanae, atque Liquiritiae consistens Omne refrigerium sedulo vitandum est, hinc nonnisi sub aere sicco calido aliquot horis in libero versentur, secus cubilis aequabilem servent temporum. His a penu diaetetico praemissis ipsa cura praeparatoria incipit cum remedio purgante duplici scopo adhibendo partim ad primas vias a peregrinis contentis liberandas, partim vero ad resorbationem tali pacto incitandam. Louvrier sequens ordinare solet purgans.

Rp Pulv. rad. Jalappae — drach. duas.
Crem. tartar. — drach. unam

Mfpulv. D. S. pro dosi

vel

Rp. Aq. laxat Vienn. — unc. tres

Salis mirab. Glauberi — drach. duas

M. D. S. Purgans.

Nemini incidat Calomel ut laxans propinare omnibus aliis praeparantibus pharmacis olim in vsum vocari solitis in specie evacuationibus sanguinis sine damno carere possumus posteriores unice locum habent in splethora universali, orgasmo ant congestione ad caput, ad venesectionem usque vix unquam res devenit. Sumto purgante incipit usus balneorum unversalium tepidorum in quibus una alterave hora quotidie aegro commorandum erit, temperatura balnei ipsius ingenere definiri nequit, propria coenesthesis quemvis optime edocebit, maxime convenit ea intra **26 — 29**⁰ R. pari ratione numerus balneorum a priori determinari non potest, dependit is ab aegri individualitate, et reliquis influxibus externis. Rust dicit **12** balnea sufficere, Louvrier sinit **12, 16, 20 — 30** summere. Balnea nunquam omittenda sunt multiplicem in cura Syphilidis per unctiones praestant utilitatem tensionem morbosam tollunt, partes solidas relaxant, humorum circulationem promovent stases solvendo, congestionem eorum ab organis internis ad peripheriam derivando poros demum cutis organicos aperiunt, sicque cutim externam ad excretionem, et resorbtionem provocant.

Post assumtum debitum numerum balneorum clauditur die a balneo sequenti cura praeparatoria cum eodem remedio purgante.

Sub horum balnearum usu bibut aeger quotidie ad promovendam cutis functionem, et exaltandam urinarum se et ex cretionem, secundum

celeberrimum D. D. Professorem Haager sequens decoctum:

Rp. Radicis Bardanae.
— Graminis.
— Liquiritiae,
Stipitum Dulcamare.
aa unciam semis.
coque cum aquae communis font libris quatnor ad remanentiam librarum trium.

D. S. Quotidie sub usu balneorum unam tertiem partem, reliquum sub die bibat aeger.

Etiamsi vero praeparatio haec summe necessaria sit ad effectum curae obtinendum nihilominus tamen obvenire possunt casus, in quibus medicus cogitur primum hanc curae partem vel abreviare vel penitus omitere. Sin individua phlegmatica tenera hysterica et hypochondriaca non bene ferunt balnea unde aput similia non nisi omni secunda aut tertia die, et tunc per mediam horam adsummum in usum vocari possunt. In genere cura inunctoria in sexu foeminaeo ita dirigenda est ut cum ingressu fluxus menstrui praeparatio finiatur, quo terminatis catameniis mox cum nunctionibus ipsis inchoari possit.

Denique magni interest ut medicus antequam inunctiones ordiatur; de probitate ipsius unguenti adplicandi edoceatur. Trituratio hydrargiri debet usque ad perfectam globulorum metallicorum disparitionem continuari; pingredo autem non sit jam rancida. Louvrier jussit semper in sui praesentia unguentum cinereum ex aequali quantitate mercuri et recentis axun-

giae porci fieri. Rust e contra utitur unguento a Pharmacopoea Borissica in usum recepto videlicet: duodecim unciae hydrargiri miscentur cum octo unciis sebi ovili, usque perfectum globulorum disparitionem, et dein adhuc sedecim unciae axungiae porei adduntur, ut igitur habeat se in hoc unguento Mercurius ut agens ad hoc constituens ut 1:2. Si dubio locus concedatur unguentum non bene paratum esse jubet Rust. ad unguentum hydrargiri commune aliquot grana hydrargiri precipitati rubri addere ut eo perfectior fiat extinctio mercurii metallici: In cura aegrorum cum cute admodum tenera et vulnerabili ubi facile Erythema orriri posset, summitur loco axungiae suillae butyrum de Caccao; videtur tamen animalis pinquedo ut magis homogenea organismo humano virtutem mercurii acuere et augere.

B. Cura inunctoria ipsa.

Nec quantitas unguenti una vice illiniendi, nec numerus inunctionum a priori definiri valet, dependet hoc ab innumeris relationibus tum in constitutione individuali aegri, tum in singularitate morbi ispius fundatis. In longe plurimis tamen casibus summuntur secundum Louvrier pro primis duabus inunctionibus duae, quo reliquis vero duae et media drachma unguenti Neapolitani, imo si periculum in mora jubet auctor mox tres usque quatuor drachmas inungi, in quo casu Rust potius sublimatum corrosivum adhibet; e contra si aeger jam mercurio

saginatus, aut per usum hydrargiri exhaustus sit, non nisi una drachma recipitur successive ad duas dosim augendo. In genere Rust minorem quantitatem singularum inunctionum assumit ita ut nunquam ultra duas drachmas recipiat, atque in primo ciclo unam in altero drachmam unam et semis in tertia duas recipiat.

Etiam numerum inunctionum restringit nunquam plures quam duodecim fieri jubet, in plurimis casibus sex aut octo sufficere dicit ad omnes adfectiones syphiliticas eradicandus.

Inunctio fit in extremitatibus superioribus et inferioribus, atque in dorso, tota portio una vice infricanda in duas dividitur partes, quae dein ambae parti destinatae infricantur, usque dum cutis sicca fiat quod potissimnm quinque minuta exposeit, initium fit cum extremitatibus inferioribus, dein transgredimur ad superiores, denique petimus dorsum, pili debent prius abradi secus erythema pustulosum facile enascitur. Ipsas inunctiones ingenere facit solus aeger invicinia fornacis calefacti, aut ope calefactarum manuum, quas dein abstergit; aput individua debilia vel pro inunctionibus in dorso perficiendis requiritur aliud quodpiam individuum, quod inunctiones illas ope spongiae madefactae et vesica suilla cinctae perficit. Primae septem inunctiones fuint secundum Rust et Louvrier horis matutinis et quidem alternis saltem diebus, post secundam inunctionem duae interponuntur dies ad praematuram salivationem arcendam, postremae quinque inunctiones fuint tempore ve-

spertino denique clauditur cura cum mitiore purgante.

Sequens Tabella rem magis dilucidabit:

1. Die summo mane inunguntur ambae extremitates inferiores inde a maleolo usque ad genu.
2. Die nulla inunctio
3. Die mane continuatur inunctio inde ab articulatione genu usque ad regionem inquinalem.
4. et 5 Die nulla inunctio.
6. Die mane inunguntur extremitates superiores inde ab articulatione manus usque ad scapulas.
7. Die inunctio omittitur.
8. Die mane inungitur dorsum integrum inclavando in regione lumbali usque ad collum, vel pectus et abdomen.
9. Die mulla inunctio, sed laxans.
10. Die mane unctio repetitur incruribus utrisque, cum una drachma et semis
11 Die omittimus inunctionem.
12. Die unguntur femora utraque.
13. Die nulla unctio
14. Die inunguntur extremitates superiores.
15 Die absque
16. Die sero vesperi inungitur dorsum ut supra.
17 Mane remedium purgans.
18. Vesperi inunctio crurum.
19. Mane purgans.
20 Vesperi inunctio femorum.
21. Mane remedium laxans.
22. Vesperi unctio brachiorum.
23 Mane purgans
24. Vesperi unctio dorsi.
25. Mane purgans.

Die vigesima sexta mittitur aeger ad balneum calidum, maneat in eo per mediam horam, lavetur bene ope saponis aut spiritus saponati, linteis tepides abstergitur, vestibus albis mundis et aeque tepefactis induitur atque petit lectum in alio cubili existens.

Toto hac inunctionum tempore parcissimo

utitur aeger victu, constans nonnisi ex ternis vicibus hausto jusculo tenui carnium, imo ingredientes salivatione solum binis vicibus summendo, in genere sufficit haec diaeta quia jam primis diebus aeger appetitum amitit, utprimum vero crises semet insinuant mox quantitas cibi porrigendi augenda erit, porriguntur tunc jura e cerevisia, aut cum ovo parata, mulcilago hordei, et cibi leviter nutrientes eupepti; apud nimis macilentos aegros statim ac initio, praecipue asvetis, indulgetur tenuis potus arabicus, aut etiam parca quantitas vini minus generosi pro potu inservit vel aqua mera vel decocta superius adducta Sassaparilla vel Bardana cum Althaea et Liquiritia.

Pariter magna momenti est rita cubilis in quo aeger versatur temperatura haec sit die et nocte eadem non infra 16⁰ Reaum. sed nec minus exaltata, nulla vero fit, secundum Rust renovatio aeris hinc fenestrae nunquam nisi summa urgente necessitate adperiendae; inprimis celleberimus Rust hujus circumstantiae summum habet respectum, putans salivationem summum et in omni casu necessariam sistere crisim, dicit enim „inunctiones minus intensas esse debere si aeger continuo in atmosphera particulis hydrargiri onusta moretur, quae etiam sanissimum ad ptyalismum disponere valet, ast urgente salivatione aut alio quopiam minus optato phaenomena aut si plures aegri in uno conclavi decumbunt, debet aeris atmosphaerici renovatio quam saepissime institui.

Celeberrimus ac doctissimus D. D. Professor Hager in methodo Rustianu ea mutavit: primo quidemomni altera die inunctio fiat, si nempe cura haec juxta normam praescriptam instituitur et quidem in ciclo primo cum una drachma in altero cum una et semis in tertio cum duabus, finito quolibet ciclo purgans porrigitur; dein ordo praescriptus quo corporis partes inunguntur, semper in mutatus maneat ita ut prima di crura, tertia femora, quinta extremitates superiores septima truncus inungatur. Tandem respicit exantissime crises pothumus cura inunctoria iam finita easque praecipue per cutim et urinas intrantes sustentare et fovere studet Ultimo, iam sub cura proparatoria, per decoctun supra descriptum crises per cutimet urinas praeparat

Praeter hactenus dicta auxilia a foro diaetetico cumprimis petita, summum respectum merentur symptomata quae sub cura hac gravissima oriuntur. Maxime in considerationem venit salivatio phoenomenon summe molestum, attamen secundum Rust excretio haec, critica est, et adcurae ipsius effectum exoptatum pertinet, est enim ut ajunt signum infallibille actionis hydrargiri in systema lymphaticum et glandularum; in plurimis casibus insinuatse salivatio mercurialis inter 3. und 4. raro inter hanc et quintam inunctionem, sub consvetis prodromis nempe: cephalea, ardor et siccitas oris, et faucium sapor metallicus, odor metallico putridus, tumor gingivarum, excretio morbose magna salivae etc. Omnia haec symptomata duabus vel tri-

bus diebus praecedunt, suntque varii gradus in variis individuis, quodsi hac prodroma nimis tumultuario ingrediuntur modo, svadet ratio ut duae intermitantur dies quibus nulla fiat inunctio et dosis ungventi inminuatura, in tali casu jubet Rust quartam inunctionem loco octavae, nona die fieri, dein duabus diebus quiescere, quintam inunctionem decima secunda die in totis extremitatibus inferioribus, fieri et sextam die decima quarte in superioribus, reliqua cura manet Si nec modo symptomata ptyalismi molesta inminuantur sexta inunctio fit die decima quinta aut crisi jam ingruente decima sexta ad dorsum et brachia. Si salivatio nimis mature ergo jam ante tertiam inunctionem ingruat aut gravibus symptomatibus stipetur uti febri sudonibus profusis aut convulsionibus, quod tum plerumque evenit si aut nulla praeparatio aegri locum habuit, aut vero initio statim per magna quantitas mercurii adplicata fuit; hoc in casu non solum inunctiones sisti debent sed imo mox ad remedia dictis phaenomenis morbosis opposita fugiendum erit, igitur aeger ad bulneum mittatur deserat cubile mercurio inpraegnatum, atque remediis leniterpurgantibus ac diphoreticis adhibitis potissimum succedet periculosis sequelis obviam venire; exspectandum est dein temporis momentum repetitioni curae hujus favens; aut longe alia medendi ratio in auxilium vocanda erit

Si ex opposito salivatio plane non accedat, nequaquam ea violento modo provocanda augendi numerum inunctionum et quantitatem unguent

sed potius medici attentio ad alia organa se et excretoria sit directa, potissimum augentur eo tum secretiones cutis, intestinorum atque renum Ast arte crises per haec collatoria jam sub cura in unctoria intrantes, in cura postuma rite et debitae directae, ita ut sufficiant sat diuque durent non tantum, crises per salivationem productas superflus reddunt sed imo molestissimum in tota cura sistit symptomaet etiamsi celeberrimi viri sicuti R u s t et L o u v r i e r dicunt semper minorem spem perfectae sanationis emanente salivatione esse, praecipue si se et excretiones per reliqua collatoria non rite obtingant; attamen jam ego sub auspiciis clarissimi et doctissimi D. D. Professoris J a e g e r expertus sum, per curam inunctoriam sub qua ptyalismus non exposcitur sed omni modo arcetur, e contrario crises praecipue posthume per cutim at urinas rite dignuntur plures formae syphilidis inveteratae, imo syphilidis per septem annos durante, cum adfectione diuturna oculi, pulcherrime sanati exivere.

Ast etiam in normali ptyalismo secundum R u s t i. e. intra 24 horas 3 — 4 librarum, necessario plura urgent molesta et ingrata symptomata quae respectum merentur, cumprimis dolor ille ardens in cavo oris percipiendus, ad hunc inpediendum diversa propinari solent remedia, uti infusum florum Tiliae cum lacte, infusum salviae et alia remedia atstringentia optimum est aqua tepida qua acris et viscida saliva attenuetur et ejus excretio faciletetur; haustus aquae frigidae facile supprimere posset

opus salivitionis; adulcera cavi oris depurandæ et ardorem sic ab iis ortum imminuendum adplicatur mixtura camphorata (e camphorae drachma dimidia et olei amygdalarumuncia) ope penicilli adplicanda; insuper multum valent juscula mulcilaginosa et Clismate oleosa quæ derivantia. Non raro inprimis in aegris ad scorbutum dispositis iugruit fluxus cruentus e gingivis laxis et tumidulis, hoc in casu vel datur aqua frigidiuscula, vel solutio aluminis, pro collutorio, aut juxta Louvrier regio sanguinem fundens tangitur sulfate cupri; continuante et increscente stomatorrhagia svadet Fabre venesectionem in pede instituendam, clismata irritantia et remedia purgantia; ad haec tamen remedia vix aliquando refugium summendum erit, nam in mitiori casu sunt superflua, in gravi hemorrhagia tota cura sistenda erit; in genere semper antequam cura in unctoria suscipiatur, gingiva aegri sedulo examinanda, et si scrobutica sit ea prius per apta remedia ad normam restituenda erit.

Adhuc magis patiuntur sub salivatione lingua cum genis, in specie lingua saepe ita intumescit et intra dentes prolabitur ut loquela prohibidatur, evenit id praeprimis horis matutinis nam per salivam noctu accumulatum irritantur, tum lingua tum et genae, unde ambae partes ad magnum saepe volumen intumescunt. Scopo tumorem hunc inminuendo optime convenit diligentissima ablutio oris cum aqua tepitula omni quinto minuto repetenda; minus commendantur

lintea sicca calida aut plane saeculi e Speciebus resolventibus parati; quodsi vero tumor linguae ita in crescit ut plane suffocatio dimenda esset, mox cura seponenda, et vel hirudinum applicatio vel linguae scarificatio fieri debet,

Si ingruentibus jam signis criticis circa diem decimam quartam cumprimis per sudorem, alvum et urinam se manefestantibus molesta quaedam phoenomena urgeant, haec quoque respicienda erunt, Sic non raro tormina, dolores colici aut flatus procedere solent crisim per alvum futuram, hoc in casu nil agendum, quam leve infusum Tiliae aut Chamomillae cum Eleosaccharo aegro propinandum erit, ad transpirationem cutis promovendam. Si sudores critici ex qua cunque causa suprimuntur, gravissima plerumque sequuntur phoenomena morbosa in specie: respiratio fit difficilis, et anxia, pulsus parvus, supressus, et intermittens, spasmi et convulsiones. Si in similibus circumstantiis phoenomena haec urgentia non tolluntur per balnea tepida frictiones corporis. potus tepidulos, remedia diaphoretica, synapismos, imo et emeticum porrectum functionem cutis supressam revocare, plerumque perit aeger, jam post duodecim horas apoplecticae aut sub gravissimis convulsionibus.

Si fors diarrhoea critica numero et intensione excedens in abnormen convertatur, ergo si ultro viginte vices alvus deponatur mox de ea sistenda cogitandum erit, quare sepositis ulterioribus inunctionibus adplicantur abdomini

lintea sicca calida infricatur spiritus aromaticus et linimenta Balsamica, clysteres mulcilaginosi cum amylo et opio, simileaque medicamenta.

C Cura posthuma.

Omnis aeger duodecim inunctiones perferens die sequenti mittitur, ut dictum, ad balneum calidum in quo bene ablutus et mundatus mundis siccis et tepefactis vestibus albis induitur, et ad cubile aliud sat magnum luce et aëre libero provisum deportatur; quotidie nunc vestes corpus inmediate cingentes mutari debent, et omni **2.** et **3.** die balneum repeti, summe cavendo ne refrigerium quoquomodo contrahatur, hinc adhuc per duas, tresve hebdomades praecipue coelo aspero frigido et humido aeger cubile non derelinquat, nisi sit aer purus siccus et solidus, cibus et potus porro magnam medici reflexionem exigunt, appetitus nunc celerrime et magno in gradu rediens non statim usque ad plenariam satietatem expleri debet; oppletio enim stomachi facile indigestionem aliaque gravissima mala effectum curae susceptae tollentia post se trahere solet.

Quod remedia attinet in cura posthuma exhibenda haec in genere enumerari non possunt, si excipias potus theatos functionem cutis et renum excitantes qui semper indicantur; in singulari autem casu eorum indicationem atque ritam applicationem quivis medicus bonum in finem dirigit, quod si fors cura inunctoria licet summe heroica tamen sine optato eventu insti-

tuta fuisset, arbitrio relinquitur medico eam aut repetere, aut potius per aliam et asserente Rust praecipue per optime huic scopo conveniens Decoctum Zittmani supplere; obtingit hoc potissimum in tractamine morborum non syphiliticorum, si hoc in casu medicus curam per unctionem hydrargiri repetere velit, id non prius fiat, antequam aeger reconvalescentia in finem deducta ad pristinam virium et materiae statum deferatur.

Salivatio in rarissimis casibus adhuc perdurans raro specialem postulat Therapiam, optime correspondent balnea, diligentissima collutio oris, purguntia, mutatio assidua vestium et aëris athmosphaerici. Rust saepe optimo cum effectu in simili casu adhibuit pulveres ex: Hydrargyro oxydulato nigro grano semis, opio puro quarta grani partem. et Saccharo albo granis decem.

Ex adlatis apparet differentiam in cura inunctoria inter Louvrier et Rust in sequentibus consistere:

1. Celeberrimus Rust praecipit sub tota cura longe strictiorem diaetam asservandam unde modificatio ejus curae famelica dicitur.

2 Sine summa necessitate haud unquam fenestras apperiendas et sic aerem renovandum indulget.

3. Adhibet minorem quantitatem hydrargiri tum sub singula inunctione, tum etiam per decursum integrum applicandi.

4. Vocat is etiam in usum curam hanc in

morbis non syphiliticis, Louvrier vero solum i
lue venerea.

Modificatio curae Louvrier Rustianae a medico Seutin.

Etsi cura de qua locuti sumus, rite ad plicata summi sit commodi et utilitatis in cur mulsorum morborum originis syphiliticae et alt rius alicujus discrasiae nihilominus tamen con plures recentiores auctores eam vario modo alte rare et modificare studebant ; inter quos prin cipalem respectum meretur ea mutatio quan celeberrimus Seutin proposuit et cujus applica tionem et felicissimum effectum mihi in schol practica ophtalmiatrica videre licuit.

Vir hic merito ejus est opinionis quod sali vatio quam Louvrier et Rust summis insua cur moluintur viribus, non solum non pro critic excretione haberi possit sed plane nocivum e omni casu araendum sistat symptoma in tract mine syphilidis et aliorum morborum per unc tionem mercurii peragendum, sequentibusque a firmationem suam roborat.

1. Salivatio potissimum praematurae seme insinuat, jam post primam aut secundam inunc tionem, quod ipsi autores curae magnae inunc toriae confiteri debent, praecipue eotum si tem peratura aeris in quo aeger moratur nimiun augeatur, jam autem tam maturus ptyalsinus nullo modo pro critico haberi potest.

2. Merito opinatur Seutin salivationem neu tiquam ut signum debitae efficatiae medicament

adhibiti habendam esse, neque ex actione specifica mercurii in glandulas omnes repeti posse, verum eam ideo solum obtingi, quod sub altiori illa temperatura quae sub cura hac in usum trahitur, hydrargirum ipsum volatilisetur, isque inspiratum in transitu juxta glandulas salivales has inmedia te proprio suo stimulo irritet, et sic vitalitatem earum adaugiat; confirmant ejus sententiam partim observationes, quod sub temperatura depressa salivatio tardius et difficilius insequatur, partim et id quod adhibendo remedia topica adstringentia a ptyalismus sisti possit, et tamen effectus desideratus sequitur.

3. Cum et expraemissis inotesceat salivationem in cura inunctoria nequaquam ad essentiam hujus facere, sequitur eam esse phaenomenon morbosum quod aegrum alioquin infelicem sine necessitate admodum debilitat, alioquin ptyalismus morbosus pertinet inter symptomata omni curae pertinaciter resistentia.

4. Proinde natura inducit scopo crises salutares promovendi excretiones per alia collatoria, magis patentia, quae ipsi quoque Auctores curae inunctoriae, uti vidimus, respiciunt, sicuti cutis, tractus intestinalis et organa uropoetica. Crises per haec collatoria preecipue in cura posthuma continuantes summe salutares et omni respectu sufficientes esse, certum est.

Haec autem collatoria, speciatim intestina et cutim etiam a L o u v r i e r et R u s t considerantur, ast non sufficienter, nam secundum

Louvrier ingrediuntur evacuationes eriticae per avium et cutim jam decima quarta die useque decimam sextam, adsummum vero durant per quatuor dies, et potissimum sunt arte inductae, continuantur autem inunctiones usque vigesimam quintam diem. Jam quaeritur jure meritoque quid fiat cum inunctionibus ultimis diebus perficiendis, ubi tamen aeger die vigesima sexta purgatur et mundatus casui fortuito exponitur? hinc veram esse affirmare possumus ejus affirmationen: nunc saltem in cipere curam evacuationum criticarum, quae sub ipsa cura non tam facile obtingere potuerunt, et quia potissimum illae magna quantitate sequuntur statuere possumus, quod si sudores hi profusi post inunctiones absolutas non compareant, causam in morboso cutis statu quaerendam esse, excepto eo si fors nimiae excretiones per alvum aut urinas locum habuerunt.

Hinc Seutin semper praepedit in cura syphilidis per inunctiones mercuriales ingressum salivationis, uti crisim praeter naturalem, superfluam, et studet per suam methodum tractandi naturam eo potius dirigere, ut haec per alia magis naturalia collatoria sola non arte adjuta, evacuationes criticas perficiat. Maximi momenti est ei Cutis externa ut organon maximae extensionis, ab hujus itaque functione rite procedente maximum praestolatur commodum aegrorum suorum.

Consistit autem modificatio haec in sequentibus;

Seutin quoque totam dividit curam in praeparatoriam, unctoriam, et posthumam seu criseos.

1. In praeparatione praemittit purgans ex aquae laxativ. Viennensis unc. quatuor cum grano Tartari emetici, vel etiam sequens:

Rp. Inf. fol. sennae
unc. quatuor.
Phosph. sodae
unc. semis.
Melag. graminis
unciam.

adhibito prima die purgante, ordinat per decem dies raro diutius quotidie balneum binis vicibus summendum et in quovis libram sequentis decocti hauriendum:

Rp. Ligni Quajaci
— Sassafras
Rad. Sassaparillae
aa unc. semis
cop. cum aquae f. libris octo
collat. librarum quatuor.

quodsi vero ipse morbus venereus nimis rapidam extendat evolutionem, ad hanc arcendam jubet ante usum balneorum per aliquot dies purgans e Calomele et Jalappa summere dein inchoat curam praeparatoriam more solito hanc vero semper cum remedio purgante claudit.

2. His praemissis incipit ipsas inunctiones mercuriales et continuat pari ratione ut eas Louvrier perficit eo cum discrimine quod omnes matutinis horis fieri jubeat; quantitas ipsius unguenti est primo ciclo una drachma in secundo drachma una et semis, in tertio duae, rarissime pro constitutione individuali ab cha-

norma recedit et vel plus vel minus inungere sinit; singulae inunctiones per **10—12** minuta durant, easque omnes aeger ipse perficiat, si possibile. Si Ptyalismus minatur mox una altera ve unctio omittitur, decoctum supra nominatum eadem quantitate per totam curam inunctoriam continuatur; ad organa salivalia contra vapores hydrargiri munienda ordinat omni quinto minuto os lavari cum decocto salviae et ter de die sequentem pulverem dentifricum adhibere:

Rp. Cort. peruviani
drachmas duas.
Cremoris tartari
drachmam unam et semis
Aluminis usti
drachmam unam.
M. Dt. Zahnpulver.

raro fortioribus utitur remediis adstringentibus. Sub finem curae inunctoriae, ergo die **26**. accipit aeger denuo purgans, et die **27**. petit balneum in quo ope lintei sapone bene illiniti diligentissime lavatur, et dein abstergitur.

Diaeta sub praeparatione et inunctionibus exceptis ultimis octo diebus, consistit in jusculo sat concentrato ter de die propinando, in prandio meridiano tempore sumto, ubi aegro cibi digestu faciliores imo et curo parciore quantitate offeruntur, alvo abstipa fructus horraei insuper quotidie ei uncia una et semis panis albi conceditur. Ultimis vero octo diebus inunctionis restringitur diaeta ex integro, et aeger non nisi ter de die juscula mera accipit.

3. Die vigesima octava inchoant crises, nunc accipit aeger mane quinta hora potum arabicum cum lacte vaccina et pane albo; manet in lecto usque ad finem sudoris critici qui plerumque sex usque octo horas durat, dein surgat et si temperatura faveat, commotionem facere potest in aere puro sicco et calido ast bene indutus omne refrigerium sedulo evitando, cumprimis tempore vespertino, decoctum supra ordinatum nunc quoque continuatur pro potu, hoc regimen diaeteticum servare tenetur per totum tempus crisium, quod natura ad quadraginta dies extendit. Inchoante tempore critico augetur aegri diaeta ita ut circa vigesimum diem ei victus moderatus hominis sani concedi possit.

Ad alvum movedam nunquum ordinat Seutin purgans interne hauriendum verum utitur hoc scopo aut suppositorio, aut enaemate ex infusi florum chamomillae et lactis aa unciis tribus, Syrupi simplicis aut melis uncia una denique s a l i s c u l i n a r i s drachmis duabus usque unciae semis constante. Orta fors tormina repellere studet per theam chamomillae et lintea sicca calida abdomini adplicanda.

Denique pro tota cura conatur Seutin ejusmodi conclave eligere, in quo janua et fenestrae eum adinvicem habent situm ut nullo temporis momento aer in quiete existens semper potius in motum ponatur, hac ratione continua obtingit aeris renovatio, ipsumque lectum aegri ita collocat, ut caput hujus ad eam cubilis partem veniat, quo maxime aer renovatus pertingere;

potest. Haec est modificatio curae inunctoriae secundum Seutin, sub qua aegri multo minus afficiuntur, quam si salivatio maxime debilitans elicitur, et tamen assequendo scopo, syphilidis nempe extingendae, certe hanc si non altiorem meritur laudem, praecipue si cura critica rite tractata fuerit.

Literatura.

Fabre, vollständige Abhandlung von der Erkenntniß und Kur venerischer Krankheiten. Kopenhagen 1777.
J. Swediauer, praktische Beobachtungen über hartnäckige und eingewurzelte venerische Zufälle. Wien 1786. 8.
Ch. Girtanner, Abhandlung über die venerischen Krankheiten. 3 Theile. Göttingen 1788 und 89. 4. Auflage 1803.
A. R. Vetter, neue Kurart aller venerischen Krankheiten nach Hunter, Girtanner und Hahnemann. Wien 1793. 8.
C. J. Clossius, über die Lustseuche. Tübingen 1797.
Joseph Louvriers nosographisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen, nebst Angabe einer zweckmäßigen und sichern Methode veraltete Lustseuchen-Uebel zu heilen. Wien 1819
Cuillier, über das Quecksilber. Weimar 1822.
J. v. Vering, Syphilido Therapie.
Rust, über die Heilkraft der methodischen Quecksilber-Einreibungen in syphilitischen und nicht syphilitischen Krankheitsformen in seinem Magazin für gesammte Heilkunde. Berlin 1816.
M. Hager's Entzündungen. Wien 1835.

Theses defendendae.

1. Medicus curat, natura sanat.
2. Matris ubera non solum phisicae infantis, sed etiam psychicae valetudinis fons.
3. Somnus est melior pars vitae Seneca.
4. In Syphilide uuversali inveterata omnibus reliquis methodus inunctoria praeferenda.
5. Medicus naturae minister et interpres tantum facit et intellegit, quantum de naturae ordine re vel mente observaverit, nec amplius scit aut potest. Bacco de Verulam.
6. Mercurius prudenter et caute adhibitus nunquam noxius evadit.
7. Illae mihi videntur utilissimae omnium exercitationum quae non solum corpus exercere, verum etiam animum oblectare possunt. Galenus.
8. Angina membranacea ab asthomate millari essentialiter differt.
9. Salivatio in omni cura mercuriali minime necessaria imo superflua.
10. Salivatio in cura inunctoria non crisim, imo ingratum sistit symptoma.
11. Sectio caesarea praesentibus adhuc signis de vita infantili perforationi semper praeferenda.
12. Hydras ferricus est unicum hucusque notum antidoton contra acidum arsenicosum.
13. Facilius sanantur morbi graves in nosocomiis quum in praxi privata.
14. Optimum in morbis contagiosis prophylacticum est animus inperterritus.
15. Euthanasia, sive ars, extrema vitae momenta minus dolorifica reddendi, inter medici officia pertinet.